

si culpa vacaret? Respondet enim mortis et passionis suæ causam esse mandatum et dilectionem Patris, qui per mortem Filii mundum sibi reconciliare, adeoque Filii satisfactionem pro reorum debito acceptare decrevit.

X. Quot et quibus figuris apparuit Spiritus sanctus? Resp. variis pro varietate operationum et significationum. Primo, specie columbæ apparuit in Christi baptismo, ad significandam innocentiam Christi et baptizatorum, necnon fecunditatem bonorum operum, qui baptizatis suggerit. Secundo, specie nubis in transfiguratione ad significandam protectionem suorum fidelium et pluviam doctrinæ, quam in eos effundit. Tertio, specie inspirationis in cœnaculo ad significandam vitam animæ spiritualem, quam per sacramentum pœnitentiæ ei confert. Quarto,

specie ignis in pentecoste, quia instar ignis fideles purificavit, illustravit, accendit. Rursum specie venti vehementis, ad significandam efficaciam prædicationis apostolis tunc collatæ. Quemadmodum enim ventus vehemens, præsertim ecephas, segetes, arbusta, domos et turres sternit, ac quandoque alio transfert: ita apostolorum prædicatione omnem mundi potentiam, sapientiam, eloquentiam stravit et evertit, atque e gentilismo transtulit in Ecclesiam. Quare sonus hic apostolos minime perterrituit, sed acuit et accendit ad amorem Dei, simulque ostendit quales ipsi et cæteri fideles esse debeant, nimirum vehementes in studio virtutis et salutis; quia: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, uti docet et exponit Cyrillus, catech. XVII.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MUNDUS A SPIRITU SANCTO RENOVATUS.

Sublata barbaries et tyrannis. — II. Impius deorum cultus correctus. — III. Charitas Dei et proximi plantata. — IV. Tenebris ignorantie sublatis lux munda illata. — V. Virtutum sterilitas in fecunditatem mutata. — VI. Fœdæ libidinis averruncatæ. — VII. Jura perversa sibi restituta.

THEMA.

Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Psalm. CIII.

Ecclesia auditores, in hodierna solemnitate frequenter nobis occinit, versiculum illum Ps. CIII. *Emittes spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ*, qui ad litteram quidem loquitur de renovatione terræ annua, quæ post exactam hiemem omnia enectantem et sepelientem, in vere et æstate quasi reviviscit, et induit aliam faciem, hilarem, decoram, fecundam; pulsa hiemis tristitia, deformitate, sterelitate, et hoc beneficio solis ad nos ascendentis, prius elongati. Jam ergo simili modo renovatum esse mundum per adventum Spiritus sancti insinuat Ecclesia, ex tristi nimirum sterili hieme mutatum esse in amœnissimam et fertilissimam æstatem. Quod quidem prævidisse etiam videtur Salomon, Cant. II. quando in persona Christi excitat apostolos ad peragrandum orbem terrarum, et disseminandum evangelium his verbis: *En dilectus meus loquitur mihi* (Christus Ecclesiæ, in monte Sion congregatæ, et orationi vacanti, præ metu adhuc inculsæ in cœnaculo), *surge*

amica mea, formosa mea, et veni, quasi dicat: Surge e lectulo quietis, in quo per decem dies jacebas, et egredere ad prædicandum evangelium. Ecce vero? *Jam enim hiems transit*, subdit: *Imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*, hoc est (ut ibi ex Origene, Theodoro et S. Gregorio exponit Cornelius a Lapide), rigor et timor legis Mosæ, ac frigus geluque infidelitatis gentium transit, imber errorum et vitiorum abiit, quia sol vernus, puta Spiritus sanctus illuxit qui calore suo tam hiemem quam imbrem fugavit, ac flante austro gratiæ suæ flores sanctorum, (quales fuerunt credentes) ac martyrum produxit in terra nostra. Tempus ergo putationis advenit, quo vos, o apostoli, Judæorum et gentium ignorantiam et infidelitatem omnemque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputatis, ut fructus bonorum operum proferant. Vox turturis, Joannis præcursoris ad pœnitentiam vocantis, jam audita est. Itaque Spiritus sanctus maxime hodie bonum universo mundo intulit, desideratum scilicet ver et æstatem post tam longam et austeram infidelitatis hiemem; ut merito omnium animi exhilarari, et cum aviculis hoc tempore laudes canere debeant, pro tam grata et stupenda mundi renovatione. Quod ut fiat, exactus paulo et hiemem illam et æstatem expendemus.

I. Hiems tyrannus quidam et latro naturæ est, omnia mactans et mortificans, ac sub nive et glacie sepeliens. Talis erat status mundi ante adventum Spiritus sancti tyrannicus, belluinus, sanguinarius; quia homines sævi truculenti, barbari, omnia viribus et potentia, non jure

(paucis exceptis) metientes. Itaque qui rex vel princeps, natio vel civitas, dynasta vel miles robore potentior vel audacior erat, debiliorem invadebat absque ulla justa causa, sicut, v. g. Alexander Magn. qui totius mundi latro et prædo erat, Nabuchodonosor, Antiochus, imperatores Romani, Carthaginenses, alique, et imprimis nostri Germani, qui ex solis prædis vivebant, ita ut Germania, imo et totus mundus non nisi vasta ferarum silva, aut oceanus marinis belluis plenus esset, ubi major minorem, fortior debiliorem invadebat et devorabat; uti adhuc contingit in Brasilia, qua parte necdum ad fidem conversa est. Tyranni erant plerique principes, vi ac potentia imperium occupantes; unde metu solum et terrore subditos coercebant, quorum ea sollemnis vox erat: *Oderint dum metuant*. Existimabant sibi quidvis licere in quovis, uti jactabat imperator Caligula: alii certe idem acitabant, subditos pro bestiis et jumentis habebant, emebant et vendebant in mancipia, et tractabant velut bruta, impune quoque mactabant. Matribus licitum erat fetus in utero suffocare, parentibus filios non solum vendere, sed etiam quos alere non poterant, occidere: multi, ut olim ita adhuc in Brasilia, filios ex ancillis procreabant, eo fine tantum, ut natos saginarent, et saginatos devorarent: alii eos passim diis suis immolabant: ad funera dominorum servos mactabant: spectacula gladiatorum, qui se absque ulla causa ad solam hominum delectationem mutuis vulneribus conficerent, proponebant, et hoc laudi datum imperatoribus, si multa talia ederent, uti Trajano qui decem millia gladiatorum uno munere populo exhibuit. Nota est Turcarum imp. tyrannis in fratres et cognatos proprios, imo et filios. Quamobrem illius temporis homines Isaias, cap. XI. appellant leones, ursos, pardos et lupos: et cap. XXXV. dracones et malas bestias.

At vero ubi Spiritus s. Christi evangelium dispersit et prædicavit per igneas apostolorum linguas: ibi hiems transit, et tyrannis hæc cessavit, vitæque hominibus securitate et humanitate plena restituta est, bestiæque illæ in homines mutatae sunt; uti prædixit Isaias, cap. XI. *Habitabit lupus cum agno, inquit, et pardus cum hædo accubabit et vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, puer parvulus minabit eos*, hoc est, quivis pauper apostolus vel prædicator abjectus: et cap. XXXV. *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci; et mox: Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam nec inveniatur ibi*. Id quod factum esse per evangelium et historiæ testantur, et hodie quoque experimur. Principes regunt cum amore, discretionem, ratione, justitia, clementia.

Sublata mancipiorum servitus, sublata gladiatorum spectacula, injustæ invasiones, parentum in liberos sævitia, et contraria omnia invecta: amor, benevolentia, humanitas, charitas, commiseratio, etc.

II. In hieme negliguntur agri, non coluntur vineæ; vel si aliqua cura adhibetur, fimus tantum et stercora in ea efferuntur. Idem fiebat in mundo ante missionem Spiritus sancti. Nemo Deum colebat, nemo curabat, paucissimi verum Deum cognoverant, uti Judæi. De quorum tamen inani religione et vitioso Dei cultu sæpe Deus conquestus est, uti Malach. II. *Dispergam super vultum vestrum sterces solemnitate vestrarum*; quo modo scilicet fimus super agrum dispergi solet. Reliqui plane impii et blasphemii, cultum quem Deo debebant, lapidibus et dæmonibus impendebant, et fere pecorum tantum, quin et humano sanguine etiam propriorum filiorum cruentabant; erga deos suos, cum ab iis non audirentur, pessime affecti erant, plagis eos afficiebant ac contumeliis: pleni denique superstitionibus et impudiciis, quibus diis suis se placituros putabant, quos etiam subinde cum in periculis versabantur, funibus alligabant ad fana et ædes suas, ne fugerent. Stulti illi Baalis cultores rogum transiliebant, clamores in cœlum tollebant, cultellis se incidebant, III. Reg. XVIII. Denique, festa eorum impudicitia plena et pudenda erant.

At ubi Spiritus sanctus mundum igne suo pervasit, ibi cultus Dei erectus, et miro modo propagatus est. Quis enim enumerare queat religionis et pietatis exercitia Christianis usitata? Festivum habent diem semper dominicum creatori omnium, de quo gentiles ne somniarunt quidem; deinde sanctis illustrioribus, quales nulli apud illos. Festa gentilium profana et scelerata mutata sunt in sacrosancta. In diebus illis sacræ missæ intersunt, et plurimi quotidie. Singulis diebus ter ad orandum pulsus datur; præterea mane cum surgunt, et vespere cum decumbunt, suas preces offerunt. Qui in sacris sunt, septies in die laudem Deo separatim dicunt, vel decantant, et plerique religiosi diu noctuque persolvunt. Nemo fere est, qui precariam coronam secum non circumferat; pauci qui suas actiones a signo crucis et pia oratione incipiant: qui domi suæ imagines sacras et altariola non habeant ad domesticam devotionem: quæ et passim publicis proponuntur locis ad eam excitandam. Omnes adstringuntur ad annuam confessionem, et sacræ mensæ communionem: paucissimi, qui eam non sæpius ultro frequentent. Quid de sacris concionibus dicam, singulis diebus festivis haberi solitis? Et quid illis non docetur ad Dei cultum

spectans? Ad quid non stimulantur? Quot quantaque virtutum exempla non proponuntur? Nihil simile viget in gentilismi hieme.

III. Hiems suo frigore corpora constringit, et gelida glacie omnia obducit. Idem videre erat ante adventum Spiritus sancti, si charitatem spectes, sive in Deum; sive in homines. Nam quod ad priorem spectat, nemo inter gentiles pro honore vel amore deorum suorum vitam posuisse, aut grave aliquid sustinuisse legitur: cum vicissim Christiani tot milia martyrum habeant, qui Dei cultu et amore omnis generis tormenta et supplicia acerbissima summa tolerantia et gaudio sustinuerint, et vero etiam ultra se iis obtulerint. Si posteriorem spectes, adeo frigeant charitate mutua et gratuita gentiles, ut rari valde in necessitate suis adessent, ne dicam alienis. Satis id colligitur ex litteris Dionysii Alexand. apud Eusebium, lib. VII. cap. XVII. et Baronium, anno 263. ubi scribit, tempore veris dire in Alexandrinos grassante peste gentiles suos quidem e domibus extruisse, seu moribundos, amicissimos etiam deseruisse, semivivos in plateas eiecisse a canibus devorandos, neminem alteri opitulatum esse: cum e contra Christiani non tantum suis, sed etiam ethnicis in ea calamitate adstiterint, necessaria praeberint, morientes animarint, defunctos laverint ac sepelierint, ipsamque ab infectis pestem in se derivarint, magnoque numero inde libenter occubuerint ad stuporem vel ipsorum gentium. Taceo charitatem, qua se mutuo fratres appellabant, et ut fratres diligebant, mutuoque pacis osculo salutabant, et pro invicem mori parati erant. Taceo liberalitatem, eleemosynas et hospitalitatem summam, quam gentiliū etiam pauperes senserunt, quin et aliqui abusi, alii inde conversi sunt, uti Pacomius, prout alibi retulimus.

IV. Hiems dies breves et parum lucis, longas vero noctes et multum obscuritatis habet ob elongationem solis. Ante adventum Spiritus sancti quantae in mundo tenebrae! Quam exigua lux erat circa res divinas et caelestes! Quot quantaeque superstitiones! Quot mendacia daemonum oracula! Augurum et ariolorum figmenta! Eorum enim vanitatem et imposturam vel ipsi gentiles manibus palparunt. Cato major dicere solebat, demirari se, quod aruspex aruspicem aspiciere possit sine risu; quia pervidebat omnes eorum vaticinationes meram imposturam esse, et rarissime evenire, quibus tamen alii plerique summi et infimi addicti erant. Ex avium volatu, ex animalium intestinis, ex equorum hinnitu (quod de Germania testatur Tacitus) omnia capiebant; feminas, etiam de futuris arcanis rebus consulebant, uti scribit Plu-

tarchus, de fem. virtut. et de Germanis Paulus diaconus, lib. IV. rerum Lombard. In vita etiam S. Bonifacii Germani apostoli legimus Germanos deditissimos fuisse aruspicinae, sortilegiis, incantationibus, quod inde certius fit, quod necdum omnino abstinent. Taceo nefandam idololatricam, qua lignis et lapidibus, fontibus et arboribus (uti Germani) imo rebus vilissimis, uti visco, velut numini immolabant.

Adventus Spiritus sancti has tenebras discutit, et lucem non modo divinarum rerum, sed etiam humanarum scientiarum longe plurimam induxit, ita ut Isaia, cap. XI. praedixerit: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua mare operientes, terram scilicet. Repleta, inquam, vaticiniis plurimorum sanctorum, qui futura multa infallibili certitudine praedixerunt; repleta sapientia caelesti et theologica, ut doctorum vivorum, ac librorum praesertim, copia undique redundet, quinimo etiam aliqui illiterati, uti SS. Antonius et Franciscus tanta sapientia pollerent, quanta nec in omnibus ethnicorum philosophis inveniri poterat: repleta denique aliis etiam scientiis et artibus liberalibus, ut passim ubique scholae, gymnasia, et academiae, et doctorum vivorum agmina in dies progignant.*

V. Hiems summam sterilitatem terrae inducit: nulli flores, nullae herbae, nullae agrorum fruges, non arborum fructus sunt; non denique aviculae, nisi quaedam inutiles et viles, uti passeris, corvi et picis nobiscum remanent. Pari modo in gentilismo summa erat virtutum verarum ac solidarum sterilitas; nullum bonorum operum studium, quia nullam pro iis in altera vita expectabant mercedem. Quare omnia eorum acta etiam laudabilia ex motivo tantum naturali, vel virtutis per se honestae et appetendae, vel (ac potissimum) ex vanae gloriae appetitu prodibant, adeoque vitiorum potius quam virtutum proles erant. Neque enim Deum ejusque gloriam, sed se ipsos et terrena commoda pro fine habuerunt. Hinc nulli inter eos sancti, nulli ex omni parte inculpati, sed omnes pene ad unum vitiis immersi erant. Qui optima inter eos docebant, ea ipsi non faciebant; qualis erat Seneca, omnium sententia celeberrimus a virtutum documentis, de quo tamen Dionys. scribit: *In plerisque contra facere visus est, quam philosophabatur. Assentatores detestabatur, cum ipse reginas coleret, et libertos, et laudationes quorundam componeret: reprehendebat divites is, cujus facultates erant aureorum tricenis centena millia: quique luxum aliorum damnabat, quingentos tripodas habuit, de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes et pares inter se in quibus coenabat, etc.* Feruntur quidem aliqui philosophi opes, delicias et honores contempsisse, sed quam pauci illi! Forsan unus et alter. Et quam illi

ipsi in aliis flagitiosi! Quam ficti et ambitiosi! Sophum philosophiae studium et hominum plausus ad id eos permovit.

Adventus Spiritus s. sterilitatem illius hiemis vertit in fecunditatem uberrimam aestatis, juxta praedicationem Isaiae, c. LV. *Lauda sterilis quae non parit: decanta laudem et hinni, quae non pariebas: quoniam multi filii desertae, magis quam ejus quae habet virum: Sarae scilicet seu Ecclesiae, quam Agar seu synagogae. Similiter Ezech. c. XXXVI. hoc praedicens: Terra illa inculta, inquit, facta est, ut hortus voluptatis. Quis enim tam caecus est, ut non videat quod virtutum scholas et palaestras undique erexerit Ecclesia? Quis nescit magnam Aegypti partem in monasteria et sanctorum eremitarum habitacula transisse? Quis numeret caenobia tot religiosorum? Quis pius coetus et fraternitates, in quibus magna aemulatione virtutum studium fervet? Quis alia piorum opera sancta, et quidem quotidiana? Paradisus igitur evasit vasta illa ferarum silva omni virtutum genere excultus, ut videre est ex sacris historiis.*

VI. Hiems semper lutum et immunditias affert ex pluvis et tempestatibus fere continuis. Et quid mundus protulit ante Spiritus s. missionem, nisi omnium scelerum immunditias, libidinis praesertim et impudicitiae? Exiguus ubi aut nullus conjugii honor et fides: receptissima uxorum repudia et multiplicitas: nulla pene propinquitatis ex sanguine habita ratio. Promiscua ibi libido, et prostitutiones uxorum ac filiarum, ut vel ex Madianitis discere possumus, qui filias suas stultissime Hebraeis prostituerunt. Quin et pederastia adeo invaluit, ut pene omnes potentiores corripere. Graecis nihili visum est libidine praepostera uti, puerorum amoribus indulgere, et quidem in ipsa Sparta, ubi adolescentium gymnasia erant. In media Roma antiquitus publica apertissimaque lupanaria erant. Passim in urbibus Veneris templa, ad quae se debant mulieres se publice prostituente, ad hoc Veneri destinatae et quasi sacrae, quales supra mille Corinthi erant dedicatae fano Veneris, teste Strab. l. VIII. et XI. Apud Baylonios omnes indigenae mulieres semel in vita se ad fanum ejusdem deae hospitibus exponebant, uti praeter Herodotum testatur etiam Baruch, c. VI. De Phoeniciis idem scribit S. Athanasius, lib. contra idola. Denique, filiae nuptui non dabantur priusquam ab altero quodam, qui sponsus non esset, corruptae essent, quod de Persis, Medis, Armenis testatur Strab. l. XI. de Lydiis Herodot. lib. 1. O caecitatem parentum! O insaniam maritorum! O dementia hominum! De his apostolus ad Ephesios IV. *Desperantes semetipsos traherunt impudicitiae et in operationem immunditiae*

omnis. Ubi causam tanti mali indicat; quia scilicet nihil boni aut mali ab alia vita sperabant, ideo freno timoris carebant: aliam indicat S. Athan. loco cit. quia deorum et dearum suarum spureissimarum exempla sibi proponebant imitanda, velut honesta et pulchra, adeoque sanctam deisque gratam existimabant suam impudicitiam et prostitutionem. Hinc mundus eo tempore non nisi firmum et volutabrum turpissimum suum erat. Sanctissimus inter ipsos habebatur, qui tam nefandis sceleribus contaminatus non erat, quod de Socrate celebrat Plato, ejus auditor (apud Quintilianum), quod Alcibiadem juvenem formosissimum, qui ad sui abusum ipsi se obtulerat, non admisit. O mira continentia, nolle se illo vitio, quod inter Christianos rogo adjudicatur, polluere! Ergo ubi Spiritus sanctus igne suo mundum pervasit, omnem hanc spurcitiā excussit et delevit, ejusque loco castitatem implantavit, coelibatus et virginitatis amorem Christianis ingeneravit, ut tot milia monasteria virginibus impleverunt: deinde vidualem continentiam reddidit amabilem: ipsum quoque matrimonium fecit sanctum et inviolabile, velut sacramentum; ita ut adulteria evanescerent, vel si qua contingerent, graviter punirentur, nec fornicationes quidem simplices essent impunes, sed velut peccatum mortiferum sub metu poenae aeternae caverentur. Plantavit viros, qui summa continentia agerent cum feminis de rebus salutis: qui mori mallet casti ac virgines, quam una fornicatione, vel etiam conjugio castitatem perdere; qui in ipso etiam matrimonio virginitatem servarent.

VII. Hiems solet nivibus vias publicas obstruere et pervertere, ita ut plerumque non qua recta via tendit et eundem foret, sed per anfractus, et qua primi viam per nives aperuerunt, pergendum sit. Simili modo in gentilismo jura (quae sunt viae et regulae vivendi) omnia pene perversa aut distorta saltem erant. Quia enim legislatores fere erant principes, summa vitae libertate passim delinquentes et leges omnes violantes, hinc eorum leges quoque pravae erant: aut si forsam aequae forent, ab eorum vivendi ratione rursus evertentur, et plebs principibus suis potius quam legibus se accommodabat. Quid enim boni expectes ab eis, qui spurcissimos et omni scelere contaminatos homines, Saturnum, Jovem, Martem, Mercurium, caedibus, raptibus, adulteriis, rapinis et furtis infames in deos retulerunt, et qui eos non colerent, reos impietatis habebant ac damnabant? Quid ab iis, qui suis furis, clamoribus, homicidiis ipsi sibi reges creaverunt, et cum voluerunt iterum obtruncarunt? Id autem infidelibus

consuetum et solemne erat. Denique, si quis viam justitiæ ac virtutis norat, impetu tamen vulgi et totius communitatis abreptus ambulare non audebat, nisi omnium odium et gladios incurrere vellet. Testatur hoc Seneca de suis Romanis præ cæteris licet cultissimis, l. de beata vita, c. 1. « Nihil magis, inquit, præstandum est, quam ne porcorum ritu sequantur antecedentium gregem, pergentes non qua eundam est, sed qua itur. Atqui nulla res non majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componitur: optima ratio ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorum exempla multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta concertatio aliorum super alios ruentium, etc. »

At ubi Spiritus s. in mundum venit, leges imprimis reformavit, et sanctissimas præscripsit, dictavitque patribus in tot Conciliis, ipsique imprimis summo pontifici, quem in ferendis legibus errare non permittit, nec permisit unquam. Legantur sacræ Scripturæ, sacri canones, ss. Patrum scripta. Quid non ibi sanctum: quid non salutare et rationi congruum? Ex his jam intelligere possumus, quanta bona mundo Spiritus s. attulerit, et quantam ei debemus laudem et gratiarum actionem ob hæc tanta beneficia. Quid enim non deberemus ei, qui nos e leonum lacu, aut aliarum belluarum spelæo, aut certe e saltu feris et latronibus infesto educeret in terram ab omni hostilitate liberam? Quid illi, qui nos oberrantes in vastissima silva in viam rectam, aut e profundo et obscurissimo carcere in lucis hujus usuram et libertatem restitueret? Quid illi, qui incolentes terram sterilem et infrugiferam transmitteret in aliam fertilissimam, centuplum pro uno grano afferentem, omnis generis frugibus et deliciis redundantem? Quid illi, qui lapsos in cloacam fetidissimam, et tantum non demersos extraheret, et in paradisum floribus consitum, variaque odorum fragrantia redolentem collocaret? Quid illi, qui e tumultuantis plebis furia, compressione et violentia? Quid huic tali, inquam, non deberemus? Quas gratias non ageremus? Quas laudes non caneremus? Quid obsequii non exhiberemus? At hæc omnia præstitit mundo, adeoque etiã nobis Spiritus sanctus a Patre et Filio missus, igne suo mundum recreans et renovans, calefaciens et illuminans. Quam miseris essemus, si per annos tres solummodo continua semper hiems, nulla æstas foret! Quæ tristitia nos occuparet! Quæ penuria affligeret! Sane quando in æstate vel per unam septimanam insolitum invalescit frigus, illico lamentamur, et pessima quæque ominamur, de frugum exiguo aut nullo proventu, de metu infirmitatum

et similia. Quid si tota æstas in hiemem commigraret? Talis erat mundus ante adventum Spiritus sancti, totus erat hiems. Ex quo vero sol ille sacer ad nos venit; jam hiems transit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.

CONCIO II.

SPIRITUS SANCTUS CUR IN SPIRITU VEHEMENTI VENERIT?

I. Denuntiat Consolatoris adventum. — II. Nuntiat Christi ingressum in cælum. — III. Nuntiat datam apostolis Dei gratiam. — IV. Nuntiat continuum jubilæum.

THEMA.

Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Act. II.

Quando vehemens repentinus oritur ventus, solemus interrogare, quid ventus iste portendat. Si ab aquilone prodeat, frigus expectamus: si ab occidente, pluvias: si a meridie siccitatem et calorem: si ab oriente, serenitatem. Hodie vehemens ac repentinus de cælo ventus descendit super Christi discipulos, aliosque Christianos numero centum viginti Jerosolymis congregatos. Quo facto convenit multitudo hominum, et mente confusa est: ac sine dubio interrogavit unusquisque, quid sibi ventus ille vellet. Nos ergo hoc indagabimus: sed non simul omnia nunc dicemus; quia et sub forma ignis et linguarum venit, quod audiemus in aliis sermonibus.

I. Annuntiat Consolatoris adventum, nos refrigerantem, tertiam in deitate Personam, Spiritum s. advenientem super Ecclesiam Christi. Quid enim ventus nisi quidam spiritus? Unde in sacris litteris spiritus sæpissime ventum significat, quia est exhalatio depulsa a nube, sicut spiritus ex ore hominis efflatus. Quadrat autem nomem spiritus tertiæ Personæ, quia ejus processio est quasi exspiratio et reflatio ex intimo præcordiorum calore et amore Patris atque Filii. Hinc etiam Christus insufflando in discipulos dedit eis Spiritum sanctum, Joan. XX. Adhuc sicut flatus procedit a pectore et ore, sic Spiritus sanctus a Patre et Filio. Et ut sonus prodit a nube impellente et aere depulsa, ita Spiritus a Patre et Filio. Porro sicut ventus æstuantem reficit et refrigerat, et quasi ardentem tenuissima velut aqua perfundit: sic primo Spiritus sanctus corda nostra præsertim in tribulatione æstuantia consolatur: eo scilicet modo, quo tribus pueris, in fornace Babylonica positus, angelus Domini fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, ut in eo choros ducerent

et laudarent Deum, Dan. III. Sic Theodorus adolescens Antiochenus a Juliani apostatæ præfecto propter psalmodiarum cantum excruciatum dixit Ruffino, qui id scripsit, se quidem aliquid doloris sensisse, verum astitisse sibi adolescentem, qui sudorem ei abstergebat, et animum confirmabat, ut voluptati potius quam dolori essent ei tormenta, apud Socratem, lib. III. cap. XVI. ita S. Victori martyri mediolani sub Maximiano, plumbo perfuso angelus plumbum refrigeravit ac si aqua esset, uti Maximianus notarius testis oculatus scribit apud Surium, 8. maii. Ita S. Xaverius gaudebat, cum in tabula natans et in arboribus pernoctans petiit non auferri crucem, nisi major daretur. Deinde, efficit ut patienter expectemus futuram vitam et mercedem laborum nostrorum. Denique, ut post lapsum non desperemus, sed recurramus ad Dei misericordiam.

II. Annuntiat nobis Christi in cælum ingressum, et captam ejus possessionem, velut nuntius ad nos destinatus: venit enim de cælo, et affert munus a Christo promissum, sed stupendum supra vires naturæ, ignem Spiritus sancti descendantem, cum alioquin ignis ex natura sua ascendat, non descendat. Venit autem cum tonitru, ut explicet gaudium cælo illatum per ingressum Christi. Quanto gaudio affectus est Jacob, quando audiit filium suum Joseph dominari in Ægypto? Quando vidit plaustra onerata et missa sibi a filio? Gen. XLV. Dominari vero Christum in cælo indicat ventus demissus cum igne ac tonitru. Quis enim hoc nisi Deus potest? Voluit quidem Thraso quidam hanc potestatem tribuere Alexandro Magno tonante cælo dicens: *Hocne tu fecisti?* Voluit Jacobus Philippi II. Hispaniarum regis filius per imprudentiam imperare vento, dicens: *Præcipio tibi ut ne mihi molestus sis*, sed mox audit a B. Aloysio assistente: *Hoc non humanæ, sed divinæ potestatis esse*, in ejus vita. Annuntiat porro Dei erga suos benevolentiam, quia per illud tonitru terruit solum incredulos, fideles confortavit et animavit; nec prostravit, sed refrigeravit. Annuntiat insuper nos quoque in Ægyptum vocari, hoc est, in cælum, ut participemus de gloria Josephi nostri. *Quo nimirum præcessit gloria capitis, eo vocatur et spes corporis*, ait S. Leo, serm. 1. de ascensione. *Venite ad me*, ait Joseph, *et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ*, Gen. XLV. Idem nobis Christus per eum ventum nuntiavit, Cujus rei argumenta sunt plaustra gratiarum hodie Christianis de cælo missa, confirmatio in gratia, gaudium et consolatio, robur ad profitendam fidem, linguæ variæ, infidelium terror, accessio tot fidelium.

Hinc secuta pluvia baptismi super tria millia hominum.

III. Annuntiat collatam cœlitus gratiam apostolis. Errant illi prius velut naves expectantes ventum ad navigandum. Eo adveniente cœli tuba insonuit, et naves perrexerunt, ac primo statim tria millia hostium ceperunt. Ventus tenuissima res est, potentissima tamen, si vehemens ad sternendas arbores et turres, ad equites et domos alio transferendas: ita apostolorum pauperum, rudium, inermium voces, exiguæ licet, straverunt imperatores, philosophos, idolorum pontifices et sacerdotes, fana, augures, aruspices, etc. Vento tam vehementi nemo resistere poterat. De quo Spiritu intelligere possumus id Oseæ XIII. *Adducet ventum urentem Dominus et assiccabit venas ejus*. Isais vero, cap. II. ad litteram de hoc dicit: *Deserto faciam montes et colles; et omne gramen eorum assiccabo, et stagna arefaciam*. Feruntur olim Psylli Pœnorum populi austro vento irati fuisse, quod eorum paludes omnes arefecisset, quare communi consilio arma contra eum sumentes progressi sunt in arenam. Sed repente austro flante arena excitata omnes oppressit, Herodotus, lib. IV. Tales erant principes sæculi, qui se evangelio opposuerunt, et Spiritui sancto loquenti per apostolos; uti et initio statim principes Judæorum præcipientes eis, ne amplius loquerentur in nomine Jesu, sed frustra erat. Si, inquit, *justum est audire vos potius quam Deum, judicate: et mox: Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus: convenerunt enim vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, etc.* Act. IV. Uni Stephano disputanti de Christo non poterant resistere omnes legisperiti et doctores.

Erant Christiani illi centum et viginti velut fistulæ in organo collectæ, efformatæque ad pronuntiandas Christi laudes; omnes erant pariter in eodem loco: sed deerat eis ventus, qui fistulas inflaret atque animaret. Eo adventante mox cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, et in omnem terram exivit sonus eorum. Ille dedit eis os et sapientiam, cui nemo resistere poterat: et quo magis premebantur folles, eo magis resonabant fistulæ; et quidem sonum suavissimum. Erant velut corpus Adami e limo a Deo effigiatum et organizatum, cui defuit adhuc spiritus intus alens. Nundum se movebat, nondum loquebatur. Inspiravit ei Deus spiraculum vite, et cœpit vivere, loqui, ambulare, etc. Quod idem mundo accidit, qui prius mortuus et cadaver erat, post adventum Spiritus sancti vivere cœpit. Apposite ergo S. Ambrosius, epist. XXXIII. ad Demetriadem, tom. V. « Impletur